Nr. 418.

CURRENDA I.

A. D. 1873.

N. 6. pr.

Communicamus Vobis, Fratres in Christo dilectissimi! Allocutionem SS. D. N. Pii, divina providentia Papae IX., habitam die 23. decembris 1872. ad S. R. E. Cardinales in aedibus Vaticanis. Est illa tenoris sequentis:

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PII
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE IX.
ALLOCUTIO

HABITA

DIE XXIII. DECEMBRIS MDCCCLXXII. AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS.

VENERABILES FRATRES!

Justus et misericors Deus, cujus inscrutabilia judicia et investigabiles viae sunt, sinit adhuc Apostolicam hanc Sedem totamque cum ipsa Ecclesiam ingemiscere divexatam diuturna saevaque insectatione. Non immutata sane est, sed praegravata quotidie magis conditio Nobis Vobisque facta, Venerabiles Fratres, ab occupatione Nostrarum provinciarum, et potissimum postquam ab annis jam plus duobus haec alma urbs Nostra subtracta fuit paterno regimini Nostro. Jugis autem experientia docuit, quam merito ab ipsis hujus insectationis exordiis, impiarum sectarum machinatione promotae et ab earumdem alumnis rerum summa potitis patratae ac provectae, saepe in Allocutionibus Litterisque Nostris Apostolicis asseruerimus aperte, non alia de causa suprema civilis Nostri principatus jura tanto nisu fuisse impetita, nisi ut ita via sterneretur ad abolendum, si fieri posset, spiritualem principatum, quo fulgent Petri Successores, delendamque catholicam Ecclesiam ipsumque Christi nomen in illa viventis et regnantis. Clarissime quidem id passim ostensum

est ab infensis Subalpini Gubernii gestis; sed inprimis ab iniquis illis legibus, quibus vel Clerici ab altaribus divulsi suaque privati immunitate ad militiam vocati sunt, vel Episcopi proprio destituti fuerunt juventutis instituendae munere suisque alicubi seminariis orbati: tamen lucidior adhuc ejusdem consilii demonstratio nunc Nobis exhibetur. Et sane: in hac ipsa urbe exturbatis ob oculos Nostros, aut etiam violenter depulsis e propria sede compluribus Religiosis Familiis, bonisque Ecclesiae gravissimo subjectis tributo, nutuique mancipatis civilis potestatis; jam nunc Coetui, ut ajunt, Legislativo proposita fuit lex illi non absimilis, quae, non obstantibus Nostris denunciationibus et gravissimis condemnationibus, exequutioni in reliquis Italiae partibus gradatim demandata, in hoc etiam Catholicae fidei centro Religiosas Familias extinguere debeat, bonaque Ecclesiae addicere fisco et publicae obiicere licitationi. Porro lex istaec, si tamen legis nomine scitum honestare licet ipsi naturali, divino et sociali juri repugnans, multo iniquior et funestior Romae et circumpositis obtingit provinciis. Profundius enim et acrius jura vulnerat et possessiones universalis Ecclesiae, fonti ipsi insidiatur veri cultus socialis, quem Religiosae familiae immani labore parique constantia et magnanimitate non in regionibus tantum nostris promoverunt et perfecerunt, sed ad exteras quoque gentes et efferatas, posthabitis difficultatibus, molestiis, aerumnis ipsaque vita, attulerunt et porro afferunt; ac demum propius refragatur Apostolatus Nostri debito et juri. Siquidem, deletis Religiosis Familiis aut exinanitis, cleroque saeculari ad inopiam redacto et militaris conscriptionis causa rarescente, non solum hic, ut alibi, desiderabuntur qui panem verbi populo frangant, qui fidelibus sacramanta ministrent, qui adolescentiam instituant et muniant adversus innumeras insidias ei quotidie structas; sed Romano quoque Pontifici subducentur auxilia, quibus, uti universalis magister et pastor, ad totius Ecclesiae regimen tantopere indiget: spoliatio vero Romanae Ecclesiae ea occupabit bona, quae plusquam a nostratum donationibus, ab omnium catholicorum largitate congesta fuerunt et in hoc unitatis centro constituta; atque Ecclesiae universalis usui et incrementis fuerant addicta, in extraneorum lucrum impie convertentur. Vix itaque didicimus, alterum e Subalpini Gubernii ministris significasse Legislativo Coetui propositum ei subiiciendi legem hujusmodi; monstrosam ejus indolem illico prodidimus per epistolam die 16. Junii hujus anni datam ad Cardinalem Nostrum a Publicis Negociis, ipsique mandavimus, ut novum hoc periculum Nobis inpendens, sicuti cetera quae patimur, nuntiaret Legatis apud hanc Sanctam Sedem exterorum Principum. Verum cum proposita jam fuerit comminata lex, exigit omnino munus Apostolatus Nostri, ut editas antea expostulationes coram Vobis, Venerabiles Fratres, et Ecclesia universa elata voce iteremus, uti reapse facimus. Nefarium proinde hoc facinus in Jesu Christi nomine, cujus vice fungimur in terris, execrantes, auctoritate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra illud damnamus una cum quolibet schemate legis, quae sibi potestatem arroget angendi, vexandi,

minuendi, supprimendi Religiosas Familias Romae et in circumpositis provinciis, ibique Ecclesiam privandi suis bonis, eaque addicendi fisco aut aliter erogandi. Irritum propterea pronunciamus jam nunc quidquid fieri velit contra jura et patrimonium Ecclesiae; cassamque prorsus et nullam declaramus quamlibet praedatorum bonorum acquisitionem quocumque titulo factam, quorum alienationi Apostolica haec Sedes numquam reclamare cessabit. Auctores autem et fautores hujus legis meminerint censurarum poenarumque spiritualium, quas ipso facto incurrendas Apostolicae Constitutiones jurium Ecclesiae invasoribus infligunt; et animae suae, vinculis hisce spiritualibus obligatae, miserti desinant thesaurizare sibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei.

Verum acerrimus, quo perstringimur, dolor ob istas aliasque passim illatas Ecclesiae injurias in Italia, non leviter exacerbatur praeterea a saevis, quibus eadem obnoxia est alibi, persequutionibus; maxime vero in novo Germanico Imperio, ubi non occultis tantum machinationibus, sed aperta quoque vi illi funditus subvertendae adlaboratur. Siquidem viri, qui non modo non profitentur sanctissimam religionem nostram, sed nec ipsam norunt, potestatem sibi vindicant praefiniendi dogmata et jura catholicae Ecclesiae. Et dum eam praefracte divexant, impudenter asserere non dubitant, nullum illi a se inferri detrimentum: imo calumniam ac irrisionem addentes injuriae, saevientem persequutionem vitio vertere non verentur catholicorum; scilicet, quod eorum Praesules et Clerus una cum fideli populo praeferre renuant civilis Imperii leges et placita sanctissimis Dei et Ecclesiae legibus, et a religioso officio suo desciscere idcirco recusent. Utinam publicarum rerum moderatores diuturna docti experientia sibi tandem suadeant, ex eorum subditis neminem accuratius catholicis reddere Caesari quae sunt Caesaris ideo praesertim, quod religiose reddere studeant quae sunt Dei Deo.

Eamdem, quam Germanicum Imperium, viam iniisse videtur civilis auctoritas nonnullorum e pagis Helveticae Foederationis, sive decernendo de dogmatibus catholicae fidei, sive favendo apostatis, sive exercitium intercipiendo Episcopalis auctoritatis. Genevensis vero tractus Gubernium, licet solemni pacto adstrictum ad custodiendam tuendamque in suo territorio religionem catholicam, postquam per praeteritos annos aliquos edidit leges infensas auctoritati libertatique Ecclesiae, recentius catholicas scholas suppressit, alias e religiosis familiis ejecit, alias docendi munere Instituti proprio privavit; nuperrime vero abolere contendit auctoritatem, quam pluribus jam ab hinc annis ibi legitime exercet Venerabilis Frater Gaspar Episcopus Hebronensis, eumque spoliare parochiali suo beneficio; imo eo etiam progressum est, ut, publica excitatione proposita, cives illos invitaret et alliceret ad ecclesiasticum regimen schismatice subvertendum.

Non levia etiam Ecclesia patitur in catholica Hispania a Civili potestate. Siquidem didicimus, propositam nuper fuisse, et jam a Legislativo Coetu ratam habitam legem de

de Cleri dote, qua non modo solemnia franguntur pacta conventa, sed omnis prorsus recti justique norma proculcatur. Quae lex, cum spectet ad exasperandam inopiam servitutemque Cleri, et ad irritanda augendaque mala illustri illi nationi illata per postremos hosce annos in perniciem fidei et ecclesiasticae disciplinae a deploranda actorum Gubernii serie; sicuti Venerabilium Fratrum in Hispaniis Episcoporum justissimas eorumque firmitate plane dignas querelas jam excitavit, sic nostras nunc poscit solemnes expostulationes.

Tristiora quoque commemoranda forent de exigua illa sed impudentissima schismaticorum Armeniorum manu, quae, Constantinopoli praesertim, per audaciam fraudis et violentiae suae opprimere nititur multo copiosiorem eorum numerum, qui constantes in officio et fide permanserunt. Ementito namque catholico nomine, perstant ipsi in perduellione sua adversus supremam Nostram auctoritatem ac legitimum suum Patriarcham, qui eorum artibus ejectus exul ad Nos confugere debuit. Versutia vero sua eam apud civilem potestatem inierunt gratiam, ut non obstantibus Legati Nostri extraordinarii illuc ad res componendas missi studio et officiis, ac etiam Litteris Nostris ad serenissimum Turcarum Imperatorem datis, armorum adhibita vi, converterint in proprium usum aliquas e catholicorum Ecclesiis, coiverint in conciliabulum, sibique statuerint schismaticum Patriarcham; atque effecerint, ut catholici sua jam priventur immunitate, qua hactenus per publica pacta gavisi fuerunt.

De perstrictis tamen hactenus Ecclesiae vexationibus alias Nobis explicatius agendum erit fortasse, si aequissimae Nostrae denunciationes contemni pergant.

Sed tot inter moeroris causas gaudemus, Venerabiles Fratres, recreari vos posse, sicuti et Nos erigimur, ab admirabili constantia et operositate catholici Episcopatus commemoratarum regionum non minus quam ceterarum; quarum Antistites succincti lumbos in veritate et induti loricam justitiae et huic Petri cathedrae devinctissimi nullis territi periculis, nullis aerumnis dejecti, sive singillatim, sive conjunctim, voce, scripto, expostulationibus, pastoralibus litteris. Ecclesiae, Sanctae hujus Sedis, suaque sacra jura fortiter alacriterque propugnant una cum Clero et populo suo fideli; ac injustam vim cohibent, calumnias refellunt, insidias detegunt, frangunt impiorum audaciam, veritatis lucem omnibus ostendunt, confirmant honestos, compactaeque unitatis robur opponunt hostium undique irrumpentium incursui, Nobisque tot Ecclesiae malis afflictis jucundissimum solatium exhibent et potens auxilium. Quod certe validius etiam evadet, si vincula fidei et caritatis, quibus mentes junguntur et affectus, arctiora quotidie et contentiora fieri curentur. Ei porro rei assequendae nemo peropportunum non censeat, ut qui Metropolitica auctoritate ecclesiasticis praesunt provinciis, cum Suffraganeis suis, meliori, qua per adjuncta temporum fieri possit, ratione consilia conferant, per quae se invicem omnes in eadem

mente eademque sententia obstringant et confirment, et ad difficile certamen contra impietatis ausus efficacius obeundum unanimi nisu se comparent.

Visitavit profecto nos Dominus, Venerabiles Fratres, in gladio suo duro et grandi et forti; ascenditque fumus in ira ejus et ignis a facie ejus exarsit. Sed numquid in aeternum proiiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Absit: Non enim obliviscitur misereri Dominus, nec continet in ira misericordias suas: sed qui multus est ad ignoscendum, ac propitiatur invocantibus eum in veritate; effundet in nos divitias misericordiae suae. Divinam iram acceptabili hoc Dominici adventus tempore placare studeamus; Regique pacifico, qui proxime venturus est, ut pacem annuntiet hominibus bonae voluntatis, in novitate vitae ambulantes humiliter occurramus. Justus et misericors Deus, cujus arcana dispositione nati sumus videre contritionem populi nostri et contritionem civitatis sanctae, et sedere illic cum datur in manibus inimicorum, Ipse inclinet aurem suam et audiat; aperiat oculos suos et videat desolationem nostram et civitatem, super quam invocatum est nomen Ejus.

N. 4208.

Innotuit Nobis, quod quidam e Clero in administratione Sacramentorum lingua vernacula ibi utantur, ubi e praescripto Ecclesiae id non liceat; praecipue id fieri perhibetur in administratione Sacramenti Baptismi, extremae Unctionis, Matrimonii, et in danda S. Communione. Talis usus et procedendi ratio stricte sunt prohibita, quod e sequentibus patebit.

Rubricae Missalis Romani (Tit. X. num. 6.) exacte praescribunt modum, quo Communio sacra fidelibus intra Missam praebenda est, et formulam quae adhiberi debet, latina tantum lingua proponunt, scilicet ea, quae in tota liturgia sacra sola adhibenda est, nec licitum reputari potest, in aliqua vel minima liturgiae parte vernaculam introducere linguam; fidelium vero communionem constituere non quidem integrantem sed veram omnino Missae partem, nulli subest dubio. Clare enim id patet ex SS. Concilii Trindentini effato, quod declarat, optare se „ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam Eucharistiae participatione communicarent.“ (Sess. XXII. Cap. VI.) et adhuc clarius idem confirmatur praescripto tum Ritualis Romani, tum etiam sic dicti Petricoviensis: „Communio populi intra Missam statim post Communionem Sarcedotis Celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda) cum orationes, quae in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.“

Praeterea Rituale Romanum Tit: „Ordo administrandi sacram Communionem“ pariter latinam dumtaxat praescribit formulam, firmiter inhaerens generali regulae, Sacramenta

nonnisi liturgica lingua administranda esse. Ab his nec latum quidem unguem recessit Rituale sic dictum Petricoviense; — postquam enim Rituale Romanum per Breve Pauli V. de die 17. Junii 1614. in Ecclesiae usum deductum extitisset, Synodus Provincialis Petricoviae 26. Aprilis 1621. celebrata Titulo „De libris Agendorum" decrevit: „ut Rituale Romanum, quod Pauli V. Summi Pontificis jussu nuper in lucem prodiit, quamprimum imprimatur, *additis polonico germanico ac latino sermone circa* **baptismum** *interrogationibus, et circa* **Matrimonii** *confirmationem solito juramento, juxta ritum Provinciae.*" In duobus itaque tantum specialiter designatis punctis, atque inter arctos necessitatis limites usus vernaculae linguae admissus fuit. Et hisce conformiter genuina ac authentica editio Ritualis in sequelam hujusce mandati Synodi Petricoviensis facta, nullam circa Eucharistiae administrationem continebat formulam lingua vulgari — demum longe serius, jam tractu praesentis seculi, multiplicatis editionibus Ritualis, quae Varsaviae, Vilnae, Cracoviae, aliisve in locis, non sat castigatae, imo pluribus arbitrariis additionibus deformatae prodiere, in passu quoad administrandam Communionem Sacram proprio marte interpolatae sunt formulae lingua vernacula. Explicari itaque facile potest, quod multi sacerdotes, licet de cetero pii, sed rerum liturgicarum non apprime gnari, licitum sibi putent, formula tali uti, imo nonulli existimantes id ad excitandam et augendam Communicantium pietatem conferre, ejusmodi formulae talia adhuc admiscent verba, quae a formula latina prorsus sunt aliena — ita alii dicunt: „*Panie Jezu Chryste...*" atque addunt ter: „*Boże bądź miłościw etc.*" et „*Niech będzie pochwalony....*" in ipso autem actu dum Eucharistiam Sacram ori Communicantis imponunt, utuntur verbis: „*Ciało i Krew..*" quae omnia licet procul dubio bona fide et intentione fiant, praescriptioni ecclesiasticae sunt contraria, et clare demonstrant, evanescere illam uniformitatem et venerandam simplicitatem, quae in Sacris Ecclesiae ritibus tantopere est necessaria, quamprimum a praefixa per Ecclesiam norma vel paulisper deflectitur — atque arbitrariis singulorum additionibus et mutationibus, prout in suo quisque abundat sensu, latum aperiri campum, semel admissa vel minima mutatione. Consuetudo talis, licet per longius tempus continuata, et latius propagata foret, legalitatis speciem induere non potuit, sed potius corruptelam et abusum involvit, qui omnino eliminandus est, prout expresse confirmatur decreto Sacrae Congregationis Rituum, quae ad quaestionem: „An consuetudo dicendi in Communione fidelium: „*Ecce Agnus Dei*, et *Domine non sum dignus* idiomate vulgari sit sustinenda vel potius eliminanda utpote contraria Rituali et Missali Romano?" sub die 23. Maji 1835. respondit: „Consuetudinem esse eliminandam."

Non latet Nos, palliari hunc abusum trita illa excusatione, quod verba latina populo non sint intelligibilia — sed tali praetextu semel admisso, logica cum consequentia admitti etiam deberet omnem rem Sacram, aliasque functiones sacras vernaculo idiomate peragendas esse, quod tamen multoties disertis verbis ab Ecclesia reprobatum est. Ut tamen fideles ea, quae liturgica lingua peraguntur, cognoscere et recte intelligere valeant, aliud suppetit medium ab Ecclesia non tantum admissum, sed enixe etiam commendatum. Prae-

cipit enim SS. Tridentina Synodus Sess. XXII. Cap. VIII. „Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem.., ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et ne sit qui frangat eis, mandat Synodus Sancta pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis et festis.“ Simili modo Rituale tam Romanum quam Petricoviense in Rubrica: „De iis quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt“ injungit sacerdoti: „In Sacramentorum administratione eorum virtutem, usum, ac utilitatem, et ceremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum praecipit, ex Sanctorum Patrum et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit.“

Idipsum corde habuerunt praedecessores Nostri, Regni Poloniae Episcopi, dum in Synodo Provinciali Petricoviae die 22. Maji 1628. celebrata, praeclaram illam instructionem a b. m. Cardinali Bernardo Maciejowski, Archiepiscopo Gnesnensi anno 1607. concinnatam, suis actibus inseruerunt, illamque normae instar omnibus parochis servandam injunxerunt, in qua quidem instructione, titulo: „De administratione Sacramentorum“ legimus: Ut autem haec divina mysteria venerentur fideles impensius, majorique illorum exardescant desiderio, non negligant parochi, cum alias saepe, tum praesertim in administratione illorum, praestantiam atque dignitatem eorundem explicare.“ Et revera in antiquis editionibus Ritualis inveniuntur additamenti instar, diversarum instructionum formulae longiores, a b. m. Archiepiscopo Karnkowski compositae, quas cujusvis Sacramenti administrationi apprime juxta intentionem SS. Concilii Tridentini (Sess XXIV. Cap. VII.) praemittere moris erat.

Nec minore cum fructu nostris quoque temporibus fient sive ex suggestu sacro, sive in catechisationibus dominicalibus, explanationes ceremoniarum sacrarum tum in Missae sacrificio, tum in Sacramentorum administratione, liturgica lingua peragendarum, quin opus sit, easdem cereremonias ipsas vernacula lingua perficere.

4276.

Intuitu colligendi alumnatici a Curatis, nova manipulatio statuitur, quam V. Clero dioecesano pro notitia et directione in sequentibus notificamus, et DD. decanis pro stricta observatione commendamus. Tenor ejusdem est sequens:

Odnośnie do tutejszego reskryptu z dn. 20. Stycznia b. r. do l. 668. (L. K. 793. r. 1872.) którym przewielebnemu konzystorzowi wykazy wymierzonego za rok 1871. alumnatykum przesłano, zawiadamia się przewielebny konzystorz, że wymierzony za rok 1871. alumnatyk stanowi oraz należytość za lata 1872, 1873. et 1874, że zatem każdorazowy

beneficyat będący 1. Stycznia r. 1873. 1874. et 1875. na dotyczącéj prebendzie, obowiązanym będzie takowy w wymierzonéj na rok 1871. kwocie opłacać. W razie zaś gdyby która prebenda 1. Stycznia jednego z tych trzech lat była nie obsadzoną, a takowa należała do probostw wyżéj kongruy uposażonych, to ma ponosić alumnatyk téjże fundusz interkalarny i będzie rzeczą dotyczącego dziekana dopominać się o to u c. k. Namiestnictwa; przy prebendach zaś niżéj kongruy uposażonych ma alumnatyk zaspokoić zawiadowca po wyrównaniu się co do należytości z poprzednikiem, nad czém dotyczący dziekan czuwać winien.

Oraz zawiadamia się przewielebny konzystorz, że c. k. Namiestnictwo nie będzie się nadal wdawać w obrachunki dotyczące alumnatykum probostw niżéj kongruy uposażonych, który rozdzielonym być ma między beneficyatów, lub tychże zastępców, stosunkowo do czasu przez który ten lub ów beneficyat albo tegoż zastępca dochodów prebendy używał, gdy podobne obliczenie, jest rzeczą dotyczącego urzędu dziekańskiego, który mając pod ręką wszystkie do tego potrzebne data, bez trudności obliczenie to uskutecznić i według tego ściągnięcie pojedynczych kwot w sposób najdogodniejszy zarządzić może.

Co się tyczy ściągnięcia alumnatykum po zmarłych beneficyatach, zauważa się, że w celu sprawienia dotyczącym dziekanom ulgi pod tym względem, należy takowych zawezwać, by w sprawozdaniach o zaszłéj śmierci beneficyatów, lub tychże zastępców równocześnie wykazywali, czy i jakie zaległości alumnatykum powstały po zmarłym beneficyacie.

Odnośną kwotę zalegającą zechce przewielebny konzystorz wykazać także w sprawozdaniach wystósować się mających pod tym względem do c. k. Namiestnictwa, które wykazaną zaległość uwzględni po przedłożeniu aktu zabezpieczenia i zarządzi ściągnięcie téj zaległości z masy, lub téż z należytości zmarłego beneficyata.

Przewielebny konzystorz zechce o tem rozporządzeniu, które od 1go Stycznia 1873. jest obowiązującem, wszystkie dziekanaty swéj dyecezyi dokładnie zawiadomić, celem dalszego zawiadomienia pojedynczych beneficyatów.

Lwów dnia 19. Listopada 1872. L. 53.219.

Tarnoviae die 30. Nov. 1873.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 15. Januarii 1873.

JOSEPHUS ALOJSIUS,

Episcopus Tarnoviensis.

Cyprianus Netuschill,
Cancellarius.

Tarnoviae 1873. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis. Impensis Consistorii.